

05

A

1761





I. N. J.
EXERCITATIONEM PHILOLO-
GICAM

Ad
MATTHÆI CA-
PUT PRIMUM

publicæ luci sistunt
PRÆSES

M. BALTHASAR STOLBERGIUS

&

RESPONDENS

ERICUS PELSHOFFERUS,

Stetinensis,

Ad D. XXVII. Septembr. hor. antemer.

in Audit. Min.

WITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken, M. DC. LXII.



VIRIS

*Maximè Reverendo, Consultissimo, Amplissimis, Excel-
lentissimis, Praeclarissimo,*

DN. JOHANNI ANDREÆ QVEN-

STADIO, SS. Theolog. Doct. ejusdemque Prof.

**Publ. longè celeberrimo, & Alumnorum E-
lectoralium Ephoro gravissimo.**

DN. JOACHIMO NERGERO, J.U.D.

**& Prof. Publ. famigeratissimo, Curiae Ele-
ctoralis, Scabinatus ac Facult. Jurid. As-
sessori gravissimo.**

DN. M. ERICO PELSHOFFERO,

**Rectori Scholæ Stetinensis Senator. fidelis-
simè merito.**



*Dnn. Patronis, Promotoribus, Affinibus & Parenti
omni honoris ac observantiæ cultu semper
prosequendis*


*Debitum suum amorem ex sanctissimo & Affinitatis & pi-
etatis Filialis jure iterum iterumque testaturus,
in ulteriorem sui suorumque studiorum com-
mendationem γούνασρα hoc Philologicum
cum omnigenæ prosperitatis, ac diutissimæ inco-
lunitatis votò, sacrum consecrat & dicat*

ERICUS PELSHOFFER.

05 A 1761



Θεῶν σὺν πάλαιμα!



Amplissimum Philologiae studium est, in quo plurimae recoditae doctrinae emblemata, & venerandae antiquitatis mysteria mentem fermè in stuporem rapiunt, ac dubiam reddunt. Sed & jucundissimum idem atque utilissimum esse, nemo nisi ejus ignarus inficias iverit. Omnia in eò grata, omnia elegantia, imò ipsae gratiae & sales sunt. Eò sublato, quibus non in tenebris lateret, quibus non difficultatum nodis implicaretur omne disciplinarum genus? Obliterarentur *Sacra & Profana* artes, *Musae* ipsae Dearum pulcherrimae cum omni *Gratiarum* amoenitate periturae essent. Quae omnia cum diligentius animo excuterem, illius amor usque mihi haesit. Nunc autem Philologica quaedam ex Novo Christi Foedere pro ingenii modulò ac tenuitate exponere, & publicae ventilationi sistere placuit Deum verò, ut omnia feliciter cedere sinat, devotè adoro.

Εὐαγγέλιον τῷ κτὶ Ματθαῖον.

§. *Evangelii* voce faustum quodcunque ac laetum nuncium notari, ipsa ejus indicat origo, cum ex εὐ & ἀγγέλλω composita sit. Deinde verò de *praemio latini nuncii Homero* usurpatur. Alia significatio est, quae *Sacrificium* ob eventum aliquem felicem aliunde nunciatum, sed in plur. tantum, designat apud *Isocr. Areop.* Plura vid. ap. *B. Schmid. in Not. ad N. T. p. 3. Chytra. Enarr. Evang. Matth. Walaeum ad h. l.* Peculiariter verò in Ecclesiâ pro salutis per Christum adeptæ doctrinâ, ejusque gratuitâ annuncii-

nunciatione, utpote lætissimã omnium, adhiberi notum est. Ad hanc illustrandam & explicandam cum omnes pertineant eius circumstantiæ, Historia Evangelica de Christò, ejus natiuitate, vitã in his terris, doctrinã, miraculis, morte, resurrectione &c. nomen accepit. Unde istæ Inscriptiones, Εὐαγγέλιον τὸ κατὰ Ματθαῖον, Εὐαγγέλιον τὸ κατὰ Λουκᾶν &c. *Tertullianus* etiam Marcionem reprehendit, quod Lucæ Evangelium receperit absque titulò, ap. *Pareum Comm. in Matth.* Ac quia omnia Evangelia pariter inscribuntur τὸ κατὰ Ν. εὐαγγέλιον, aliqui collegerunt ab Ecclesiã Græcã titulum appositum esse.

§. Judæi uti aliàs omnia de Servatore nostrò dicta ac facta βλασφημίζουσιν; ita & ex Evangelii vocabulo (quod græcum esse agnoscit ipse *Elias in Tbisbi*) occasionem arripuere criminandi doctrinam illam, quam blasphemo ore modò *ויהי גין ע* modò *ויהי גין* revelationem vel librum iniquitatis appellant. *Hotting. Thes. Phil. l. 2. c. 1. f. 5. p. 512.*

§. *Walaus* observat Veterem Inscriptionem non habuisse nudè Evangelium, sed εὐαγγέλιον Ἰησοῦ χριστοῦ, uti est initiò Marci. Et hanc causam esse arbitratur, cur non Ματθαῖος & Μάρκος &c. sed κατὰ Ματθαῖον &c. hi libri inscripti sint: cum alioquin non minus rectè id quod scriptum est à Matthæo, Evangelium Matthæi possit dici. *Conf. c. XVI 25. cum I. 9. Epist. ad Rom.* Eandem inscriptionem ex Latinis Codd. affert *B. Schmid. Sanctum Domini nostri Jesu Christi Evangelium secundum Matthæum.* Nec tamen ideò putandum κατὰ Ματθαῖον idem dictum esse, ac Ματθαῖος, quod *Drusius* credit. Nam & Latini Patres in citandis his libris græcam dictionem χρι̅ ob emphasin retinuerunt sæpius.

§. *Castellio*, qui *Ancore Matthæo* reddidit, ab emphasi Græcæ vocis recessit, quod non uno locò ab ipsò, dum *Ciceronianum Evangelium* procudit, factum esse alii observant. Ipsum *semipaganum interpretem* nominat *Sixt. Senens. lib. 8. Biblioth.*

§. Ebraïsmum, quem *Drusius* h. l. asserit, quò χρι̅ exprimat Ebræorum *ל*, sicuti dicitur *ויהי גין ע* pro Psalmus Davidis; ita & hîc Evangelium χρι̅ Ματθαῖον pro Ματθαῖος, ignoraverunt ipsi

ipsi ejus Autores LXX. Interpp. Alioquin verba ista debuissent
vertere $\chi\lambda\mu\delta\varsigma$ $\chi\tau\iota$ $\epsilon\upsilon$ $\Delta\alpha\beta\iota\delta$, pro quô tamen semper legitur
 $\tau\omega$ $\Delta\alpha\beta\iota\delta$.

Ad Vers. I.

§. $\beta\acute{\iota}\beta\lambda\omicron\varsigma$ $\gamma\omega\epsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma$. *Librum Generationis* vocat Matthæus,
cum nec totus liber de profapiâ Christi agat; sed parva libri por-
tio, caput ejus primum, & ne id quidem integrum. Ad Helle-
nisticam confugiunt Interpp. & ab Ebræis harum vocum si-
gnificationem arcessendam putant. Dicunt vocem $\beta\acute{\iota}\beta\lambda\omicron\varsigma$ no-
vam recepisse significationem, & notare *Catalogum, recensionem,*
enumerationem sive rerum sive personarum. Sed unde? Ab Ebræâ
voce ספר quæ librum significat, cum quâ quoad istam signifi-
cationem, prorsus congruit vox Græca. *Hebræa vox autem signi-*
ficat & aliud quidpiam, Catalogum puta. Cujus exemplum est
Gen. V. 1. ספר תולדות אדם *Quæ verba Græci Interpp. sic ver-*
tunt: βιβλίον γένεως ἀνθρώπων. Nimirum & interpp. isti, cum
Catalogum exprimere vellent, vocârunt eum βιβλίον. Vorst. Phi-
lol. Sac. de Hebraism. N. T. c. I. p. 8. c. II. p. 26. Heinsf. proleg. Exerc.
patr. ad N. T. p. 27. Cassp. Wyssius Profess. Tigurin. Dialectolog. sac. p. 324.
Walaus ad h. l.

§. Sanè Ebræi quamlibet scripturam, in quâ aliquid de-
scribitur, narratur, aut enumeratur, vocant ספר librum.
: ספר כרית liber repudii, ἀποστέριον Matth. V. 31. βιβλίον
 ἀποστέριον Matth. XIX 7. Marc. X. 4. ספר המקנה liber em-
tionis Jer. XXXII. 11. quamcunque etiam *Genealogiam* s. brevi-
ter s. prolixè descriptam appellant *Librum generationis.* Sed &
alterum תולדות peculiariter licet accipias pro majoribus,
vel descriptione rerum, quæ generationem sequuntur, h. e.
totius vitæ actis & rebus gestis, sicuti *Gen. XXXVII. 2. Walaus*
accipi vult. Ex neutrô aliquod Hellenisticæ argumentum
accedit. Dicitur igitur $\beta\acute{\iota}\beta\lambda\omicron\varsigma$ $\gamma\omega\epsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma$ ex more Judæorum,
qui Genealogias ita appellant. Sed ideò, quia ex Judæorû mo-
re, neutiquam metuendum est græco ἰδιώματι N. T. multo au-
tem minus mere-Græco-Lat. barbarismus debet dici. Syrus simpli-
ter habet כתב *Descriptio.*

§. Illud $\delta\alpha\epsilon\iota\delta$ non est initium aut caput Genealogie,
 neque immediatè ex Davide natus est Christus ; sed median-
 tibus gradibus, qui habentur à v. 6. ad 16. *Heinsius* idè primò
 locò adscriptum putat, quod duos Messias expectarint Judæi,
 alterum *Davidis*, alterum *Josephi filium*. In limine ergò mo-
 nendos fuisse de eò Mesfiâ, quem *Matthæus* describere aggre-
 diebatur. Verum id pertinacium Judæorum & quidem recen-
 tium tantùm commentum est. *Quò de B. J. Mart. lib. III. de*
trib. Elob. c. 53. p. 307. Excell. Dn. D. Dannbauer, χε, 7000φ. sect. 3. art.
ult. p. 371. Distinctos Mesfiæ adventus cum nesciant concili-
 are Verpuli, fingunt duos diversos Messias, Unum appellant
 בן יוסף nonnunquam Ben Ephraim, pauperem, ege-
 num & humilem, quò de omnia humilia in S. Codice interpre-
 tatur. Alterum בן דוד vel Ben Jehuda, magnificentum & glorio-
 sum, cui omnia gloriosa & augusta applicant. *Vid. Helvic. Tom.*
IV. disp. XV. th. 7. & 18. Ben Joseph, qui vocatur, in universali
 illò prælio, quod comminiscuntur, cum duobus potentissimis
 hostibus Gogo & Armillò, hoc Christianorum, illò Turcarum
 ductore, interficiendus est. At alter Ben David gloriosus Rex
 mundanus futurus est, qui primum Mesfiam resuscitabit, Israe-
 lem redimet, eiq; regnum restituet, sacrificia instaurabit, &
 bellis cum Gogo & Armillò finem imponet, totum denique
 mundum subjugabit. Hinc R. Salom. Com. in Esa. XXIV. 18.
 הנמלט מחרב משיח בן יוסף יפול אל חרב משיח בן דוד
 והנמלט משר ילכד בפח במלחמת גוג : *Qui se li-*
beraverit à gladiò Mesfiæ Ben Joseph, incidet in gladium Mesfiæ
Ben David, & qui inde se proripuerit, in bello Gogi illaqueatus pe-
ribit. q. d. nullus erit evasioni locus. Quanquam verò & prisci Ju-
 dæi Mesfiam Josephi filium nonnunquam appellitent, unum
 tamen eundemque Mesfiam, unum idemque semper iidem pri-
 sci Judæi intellexerunt individuum, *docente B. J. Mart. l. cit.*

§. *Matthæum* Ebraicè primum exarâsse Historiam Evan-
 geram vulgata est sententia, quam cum *Patrum* olim, tum
Recentiorum plurimi acceptârunt: alii etiam ex hóc locò proba-
 re eam conati sunt. In excerptis Florentinis. quæ citat *Heins.*

ita

ita legitur: Τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ἐξεδόθη ὑπὸ αὐτοῦ ἐν
 Ἱερουσαλὴμ ἀπὸ γραμμάτων ἑβραϊκῶν. Διὰ τὸτο γὰρ, ἔτε ἑ-
 βραίοις γράφων, ἔδεν πλέον ἐζητήσασθαι, ἢ ὅτι ἀπὸ Ἀβρα-
 ᾶμ καὶ Δαβὶδ ἦν ὁ χριστός. Eadem habet Chrysof. Hom. I. in
 Matth. Verum cum exemplaria Ebraica multa habeant assu-
 menta, veterisque Ebraismi succo ferè destituantur, præterea
 probabiliter saltim asseratur à Patribus, nullis autem confir-
 metur argumentis Matthæum Ebraicè Evangelium suum scri-
 psisse, tam facilè credi haud debet. Vid. Hotting. l. c. & Gomar.
 dissertat. de Evangel. Matth. Nos acquiescimus in B. Chemnit.
 Harm. c. III. p. 55.

Ad Vers. XVI.

§. Γενναῖν foeminæ hic tribuitur, quod maribus aliàs pro-
 prium esse censetur. Idem de mulieribus usurpatum occurrit
 Luc. I. 13. & 57. Joh. XVI. 21. Matth. XI. 11. γυνῆτοὶ γυναικῶν dicuntur.
 Ebraicum גַּנַּי de utroque sexu pariter dicitur: unde alii novā
 græcæ vocis significationē derivare voluerunt. Sed Pfochen. Di-
 attrib. sect. 43. p. 19. vetustam eam esse, priscisque ἑλλησι tritam
 monstravit; quæ silentio præterit Cl. Gatakerus.

§. Vocatur Josephus ἀνὴρ Μαρίας s. maritus, sicut ipsa,
 vers. XX. ejus appellatur γυνή uxor, quanquam nondum coha-
 bitarent. Sed, ut JCTI, quod de proximò fieri debebat, pro fa-
 ctò habebatur. Sic Damon Pastor ap. Virg. Ecl. 8. Nisam puel-
 lam, cujus amore captus erat, Conjugem nuncupat. Conjugis
 (annotat Servius) non quæ erat, sed quæ fore sperabatur. Neq̄
 verò vocibus istis ἀνὴρ & γυνή hæc significatio noviter ab Hel-
 lenistis imposita est, contrarium pluribus probavit B. Schmid.
 ad v. XX. b. l. Etenim ea sexus nomina sunt, quæ æquè virgini-
 bus juvenibusque ac uxoribus & maritis competunt. Nec ab-
 nuit Cl. Gataker. dissert. cont. Pfochen. c. XII. p. 135. γυνή nunc sexus,
 nunc ætatis, nunc conditionis s. honestæ, sive inhonestæ etiam no-
 men est. De ἀνὴρ Eustath. ad od. α. Hom. hæc notat: Ἀνὴρ ὁ
 τοῖς παλαγοῖς τετραχῶς, ὁ ἤδη τέλει τὴν ἡλικίαν, καὶ ὁ συ-
 ζεῖ.

ζευχθεὶς γυναίκα. καὶ ὁ ἀνδρεῖος, καὶ ὁ φύσει. Ἀνὴρ καὶ πέμπτον
 σημαίνοντο, καὶ ὁ ἀπὸ λῶς ἀνθρώπου. Pollux Onomast. l. 2. c.
 3. γυναίκα ἠνδρωμένην demum inter maritatas locat. Nos tamen
 ea nomina hōc in locō conditionis esse, utique persuasum ha-
 bemus. Etenim pridem observatum est authoribus Uxorem &
 maritum etiam à sponsalibus dici secundum Ebræorum & alia-
 rum gentium instituta.

§. De desponsatâ res manifesta est. Jacobus Patriarcha fili-
 am Labanis postulans, quæ tantum in uxorem illi promissa erat,
 dicebat אִשְׁתִּי אֶת הַבְּרִיָּה דֹס (מוֹי) תֵּן גַּוְנָאִיָּא מִי.
 Deut. XXII. 23. 24. desponsata virgo Uxor proximi dicitur, illiq;
 illatum stuprum pro adulteriō habetur. Confirmat hoc Maimo-
 nides, quem citat Buxtorf. dissertat. de Spons. & divort. p. 76. אִשְׁתִּי
 פִּי שְׁלֵא נִבְעֵלָה וְלֹא נִכְנָסָה לְבֵית בַּעֲלָהּ הִרִי הוּא אִשְׁתִּי
 אִישׁ i. e. licet nondum vel à viro cognita, vel in domum mariti sui
 sit ingressa, est Uxor Viri: & qui rem cum ipsâ habet, exceptō mari-
 tō (sponso) ipsius, reus est supplicii capitalis à domo iudicii infligen-
 di, & si maritus s. sponsus ejus velit eam repudiare, oportet ut id fa-
 ciat libellō repudiij. Jam quod dictum de sponsâ, id & valere
 debet de desponsatō. Verum, quamvis desponsata revera sit u-
 xor viri, nondum tamen (Maimon. loc. cit.) est אִשְׁתִּי אִישׁ
 אִשְׁתִּי אִישׁ Uxor viri mera & absoluta, sed prohibita est marito suo
 (sponso) ex institutō scribarum, quandiu est in ædibus patris sui. Et
 qui rem habet cum desponsatâ suâ in domo soceri sui, is luit pœnam
 contumaciæ (flagellationis.)

Ad Vers. XVII.

§. Emphasin articuli (αὶ ἕνεκα) notat h. l. B. Glasius Phi-
 lolog. sac. l. III. tr. 2. can. 1 p. 499. Omnes istæ generationes &c. istæ
 videlicet, quæ hîc numerantur, et si plures re ipsâ fuerint. Varia ha-
 bet significata nomen ἕνεκα, quæ refert Schmid ad Matth. c. XI.
 16. p. 187. Non hominibus modò, sed & brutis & foliis arbo-
 rum tribuitur, uti Eustath. notat ad ἰλ. e. vers. 265. ἕ μόνον ἔπι ἀν-
 θρώπων,

ἰσῶν, ἀλλ' ἰδὲ καὶ ἔπι ἀλόγων ζώων εἰρηται. λέγεται ἢ καὶ ἔπι
 φύλων. Hic metonymicè Generationis gradus, sive personas sin-
 gulares, & individua vel generantia vel generata designat. γε-
 νεαὶ δεκατέσσαρες Luth. vtersehen glied. Erasmus reddit gene-
 rationes. Beza substituit progenies. *Walaus* existimat, non
 posse id unâ latinâ voce commodè reddi, sed interpretandum
 esse Personæ generatæ. Sicut JCTI: Persona generata semper
 adjicit gradum: Ex profanis idem huc trahit verba *Isocratis*
in Busirid. qui scribit Herculem ἰετρεσι γυνεῶν νεώτερον fuisse
 Perseo. Sed de certâ quâdam parte temporis (quam 30. anno-
 rum faciunt *Plutarch.* de def. orac. *Eustarb.* ad ἰλ. α. alii. *Herod.*
Euterp. γυνεῶν γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν ἕκαστον ἔτερά εἰσιν: ergò γυνεῶν illi
 tempus est circiter XXX. annorum) accipit, & rectius quidem
Vorst. Philol. sac. p. 325. *Pindarus* tamen hoc sensu habet πυθ. δ.
 ἀντισηρ. α. ἐβδόμα καὶ σὺν δεκάτῃ γυνεῶν ab Euphemo scil. Ar-
 gonauta usque ad Battum I. decimâ septimâ generatione: Quod
 si verò ipse Euphemus fatalem illam glebam projecisset ad Tæ-
 narum Laconia promontorium, ibi fuisset seminarium Cyre-
 nes, & quidem quartâ statim ab Euphemo generatione, quod
 Poëtæ σρ. γ. ἰετρεῶν παίδων ἔπιγενναμένων dicitur. Sed vid.
B. Schmid. in Comm. ad Pind.

§. Μετοικεσίαν Erasmus vertit demigrationem. Improbatur
Beza, quod demigratio sit spontanea. μετοικεσία v. *Babyloni-*
ca fuerit violenta transportatio, unde & sic interpretatus est,
 quemadmodum & *Schmidius*.

Ad Vers. XVII.

§. Particula Γὰρ ab *Erasmio* expressa est per Enim. Sed hic
 παρέλκει, uti observavit *B. Schmid.* de quò & *B. Glass. l. c. tr. 7. c.*
18. p. 823. videri potest.

§. Συνέρχεται & congressum conjugalem, & in commu-
 nes ædes conventionem denotat. Unde hunc locum non de
 coitione, sed coitu seu congressu exposuit *Erasmus*. Ita quoque
 cepisse

cepisse videtur *Chrysoft. IV. in Matth.* ἔκ εἶπεν, inquit, πρὶν εἰ
 ἀχθῆναι αὐτὴν εἰς τὴν οἰκίαν τῆς νυμφῆς. καὶ ἔδ' ἐνδοῦ ἦν. *Non di-*
sit, priusquam in sponsi adduceretur domum; quin jam ibi erat.
Hunc quippe morem tenebat antiquitas, ut Sponsa in sponso- rum do-
mibus haberetur, quod nunc quoque interdum fieri videmus. Recti-
us verò alii exponunt, priusquam cohabitassent, vel cohabita-
tum commigrassent, uti Schmid. & B. Chemnit. Harm. p. 84.
Erat, inquit, sub lege consuetudo, ut non statim post desponsationem
sequeretur concubitus, sed interpositò certò aliquò tempore post de-
sponsationem sponsa solemniter assumebatur ad cohabitationem con-
jugalem, & ex paternis aedibus in sponsi domum deducebatur, quod
colligi potest ex Gen. XXIX. 33. Deut. XX. 7. Idem quoque sva-
det verbum ἡγάλαμ ἐλθεῖν vers. XX. & XXIV.

§. Quod *Chrysoft.* attinet, *Grotius* existimat, illum id i-
 deò affirmasse, quod Antiochiæ suâ ætate ita fieri videret: non
 enim perpetuum fuisse, ac dissentire ipsos Judæos, ut credibilis
 sit liberi fuisse juris pro quòvis commodò. Observat etiam,
Romanis moribus proditum esse à *Modestino*, eam, quæ despon-
 sa est, ante contractas nuptias, domicilium non mutare. Pari-
 ter *Buxtorf.* se nihil certi constitutum legere ait de tempore, quò
 desponsati manent usque ad completionem matrimonii per
 nuptias, *dissert. alleg. Ubi & Leonis de Modena è part. IV. Histor.*
 verba hæc refert: *Quidam ita desponsati manent per integrum an-*
num, alii per semestre plus scil. vel minus, pro voluntate vel com-
moditate partium contrahentium.

Ad Vers. XIX.

§. Binos in hóc versiculò ab aliis notari Ebraismos, alte-
 rum in voce δίκαι, alterum in ἡδαιγματίται, jam pri-
 dem observavit *Cl. Pfochen. l. c. s. 106.* & explisit. Cui propterea
 succenset *Cl. Gatak. l. cit. c. 39. p. 248.* Verum, ait, quinam
 isti, qui hoc putant, non exprimit; sed nec posse credo. Certè
 n. tam obeso naris esse quenquam vel mediocriter eruditum, qui ideò
 Ebraismum in verbis illis δίκαι, ἡδαιγματίται latere censeat, quia קִרְבָּן
 LXX. per

LXX. per δίκαιος reddunt, fidem apud me mereri nullò modo potest. Sed utique expresit Pfochenius, & apposuit autorem Drusium, quoad vocem δίκαιος. Heinsium verò quomodo ignorare poterat Gatakerus, qui verbi ὁδοδείγματιζεν usum & significationem in præsentis locò nonnisi ex Hellenistis constare posse adstruit?

§. Cæterum & Vorstius l. c. p. 55. prolixus est in voce δίκαιος, cujus significationem in Novò fœdere novam agnoscit. Vulgò, ait, significat justum. In N. T. autem, vir quoq; pius, bonus & honestus eòdem vocabulò appellatur. Et mox: Usurpatum est vocabulum græcum exemplò vocis Hebrææ דִּיקָיָה, cum quâ & alias congruit. Primò hæc Hebræa vox justum significat. Deinde & talis, quem Latini virum bonum vocant, eò vocabulò appellatur. Ea tamen, quæ in contrarium pridem à Pfochenio allata sunt, intacta relinquit. Omnes vocis δίκαιος significationes recenset B. Schmid. ad Luc. c. XXIII. p. 628. 629.

§. De vocabulò ὁδοδείγματιζεν, ejusq; sensu multum disquiritur. Patres nonnulli latinè interpretati sunt punire: & ex Græcis quidam κολλάζειν. Communiter de infamiâ ignominiaq; in præsentis locò exponitur. Hinc aliis est ignominia publicæ exponere, diffamare, ignominia afficere vel notare, sive irrogatâ poenâ, sive aliò quocunq; modo: aliis traducere, sicuti in triumphis captivi hostes ignominia causâ spectandi per urbem traducebantur, sicuti accipitur Coloss. II. 15. Varinus interpretatur per φανερώσαι, quando occulta vitia per ora hominum traducuntur. Alii per εξαγορεύσαι declarant. Syrus habet verbum סַרַס, quod significat estimatò vel taxatò crimine diffamare, & publicam ignominia notam inurere, uti exponit B. Chemnit, l. c.

§. Unde verò hæc vocis significatio arcessenda sit, maximè dubitatur. Heinsius in exercit. ad b. l. ad Hellenistas pro more sese recipit, qui hoc vocabulum de infamiâ ludibrioq; usurpant. Adducit Ezech. cap. XXVIII. 17. ubi LXX. ἐδωκά σε ὁδοδείγματιζεν. Vulgata, ante faciem regum dedi te, ut cernerent te, quod in Ebræo est לראוה-בך / Targum habet לראוה-בך ut speculentur in te. Verum, lubrica est expositio, quæ nihil

B L

certi

seru habet. Ut taceam, controversum esse, num à Senioribus LXX. alia præter Pentateuchum in græcum sermonem translata fuerint. Negant Joseph. præfat. Antiquit. Judaic. Consentunt Talmudici. Hieron. Salmasius, Schikardus, quò de consul. Cl. Hotting. l. c. l. 1. c. 3. q. 6. p. 308. Longè tamen aliò sensu idem verbum adhibent Interpretes Num. XXV. 4. ubi Ebræa $\text{וַתִּשָׁקֵף עַל הַשֶּׁמֶשׁ}$ exprimunt Ἰσταίματισον , Vulgata, suspende illos coram sole in patibulis. Jerem. XIII. 22. pro וַתִּשָׁקֵף legitur.

§. Alia igitur ineunda via est. Antiqui Græci, scribit Salmasius Epist. dedic. Comm. de Hellen. p. 43. & Attici scriptores, maximeq; idonei autores Ἰσταίματιζεν pro supplicio afficere posuerunt. Comicis etiam sic usurpatum. Unde & Latinis, cum eorum fabulas verterent, exempla in aliquem edere, punire est, ut apud Terentium. Conferri hîc potest Gellius Noct. Att. l. 6. c. 14. p. m. 252. ubi agit de tribus puniendi rationibus à Philosophis attributis, quarum prima ὕψιστος vel κόλασις , vel Ἰσταίματις , altera Ἰσταίματις , & tertia Ἰσταίματις . Apud Græcos recentiores [sunt verba Salmas. l. c.] παρὰδειγματίζεν id magis significat, quod Latinis est traducere, ac ludibriò habere, ut pluribus exemplis a libi suo locò firmabimus. Et sic capiendus est locus Matthæi. Sanè hâc notione apud Plutarchum ἐν πολυπρα legitur: $\text{ἔστι βιβλίον ἔχει συντεταγμένον & c. ὑπὲρ Ἀρχιλόχου πρὸς τὰς γυναῖκας ἀπρεπῶς καὶ ἀκολάτως ἐρημνὸν ἑαυτὸν Ἰσταίματιζόντος, ἃρ' ἔτι τῆς τραγικῆς κατὰ τὰς ἀξίους}$; Vid. B. Glass. l. c. tr. 6. p. 797. B. Schmid. adh. l. Nec diffitetur Cl. Gatakerus l. c. Ἰσταίματιζεν itidem apud Græcæ lingvæ autores probatos deprehendi, Beza monuit; vixq; est, ut in Græcorum scriptis diligentius paulò quis versatus ignoret.

§. Ἀπολύειν est dimittere, repudiare, abdicare, & sic Matth. V. 31. legitur, $\text{ὅς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα, & c. XIX. 3. 7. 8. 9.}$ alibi. Voluit clam ἀπολύσαι , non dato coram iudice libellò repudii, ne quis animadverteret ejus desertionem. Erasmus, voluit ab eâ *clanculum* divertere.

Ad Vers. XX.

§. De γυνὴ ad vers. XVI. dictum est. Etenim cum consensus faciât nuptias, non concubitus ex sententia JCorum, illòque parentes

rentes Jesuli colligati fuerint; nihil obstat, quò minus & Josephus maritus, & Maria uxor dici queat.

§. *Ἐλάμβανεν* est assumere, ad se recipere, adjungere sibi. *Νεϋεαρισ* domum ducere. *Ἐλάλῃσι* domum ductio. Sponsa post desponsationem certò tempore certisq̄ve ceremonijs accipiebatur, & in sponsi domum deducebatur, & tunc consummabatur Matrimonium.

Ad Vers. XXI.

§. Ut supra de *Γενῶν* monuimus, quod potissimum de maribus; sed quandoque etiam de foeminis dicatur. Id nunc quoque observandum de *Ἰκετεῖν*; nam & hoc de utrovis sexu, & praesertim apud Poetas de maribus usurpatur. *Conf. B. Schmid. ad h. l. Pfoch. s. 43.*

§. Nomina Christi alia sunt *Naturæ*, alia *Impositionis*, & *officii*. Naturæ nomen est *Ἰησοῦς* vers. XXIII. ex Esa. VII. 14. quò de Galat. 1. 3. c. 18. quem citat B. J. Mart. 1. 3. de trib. Elohim c. 2. p. 3. Nomen Impositionis MESSIÆ proprium est JESUS. De cujus origine variant Autores. *Cyrillus* ab *ἰᾶ* *Ἰ* derivat, quod est mederi, sanare. Sed ex ignorantia Ebraë linguæ factum est, quâ de causâ plures incongruæ vocum interpretationes non rarò apud Patres deprehenduntur. Quò de Cl. *Hotting. Analect. dissert. 7. p. 322.* Alii ex nomine *Ἰησοῦ* factum esse contendunt per insertionem literæ *ψ*, quæ ex *ψ* *Ἰ* desumpta. Imò cū àtē hāc ineffabile esset nomē *Ἰησοῦς* nunc effabile factum asserunt; idque indigitasse *Lucam* c. II. 21. cum scribit illud (sc. ineffabile hætenus) ab Angelo vocatum i. e. pronunciatum fuisse in nomine JESUS. Vid. *B. Chemnit. l. 6. p. 102. B. Jac. Mart. l. c. c. 2. p. 10. seqq.*

§. Verum hos ridiculos vocat *Sixtin. Amama Anti-barb. Bibl. l. 2. p. 481.* Nos, ait, literam *ψ* præcipuè si vocem claudat, demi aliquando, at nunquam addi solere didicimus. Magis tamen ridicula est derivatio illius, cujus *Erasmus* meminuit encomio *Moriae*, qui interpositum *Sin* è linguâ Scoticâ assumptum putat, in quâ peccatum significat, quò respiciatur ad illa: *Ecce agnus Dei, qui portat peccata mundi.* Nobis aliam, eamque genuinam

B 3

nomi

nominis JESU rationem ipse Angelus tradit. Est illud de-
 ductum à verbo **ישוע** Hiph. **הושיע** quod significat ad *miseros*,
perditos, ac *omni ope destitutos* *accurrere*, eos non tantum
aspiciendo, sed *potius ipsò opere servando & liberando*, ceu
 id explicat B. Jac. Mart. l. c. Hinc descendit nomen **ישוע**
 quod antiquioribus *seculis*, & ante exilium *Babylonicum*
 scribebatur **יהושע** cum **ה** epentheticò, sicut **יהושף** Psalm. 81.
 6. *Cholem* verò non est ex decurtato **τῆρα** **σηματάω** **יהו**. Fal-
 sum etiam est, quod *Judæi* nugantur, Nomen **τῆρα** **σηματάω**
ἀνέκφραστον esse, quod ad *populum* *deferri*, & ceu *memoriale*
Dei in *æternum* *retineri* debuit, *Exod.* III. 15. *quò de Excellen-*
tis. Dn. D. Calovius in Theol. Nat. & Revel. p. 220. seqq. & Prælect.
privat. ad Exod.

§. *Judæi* Christo *invidentes*, corruptè & *improbè* scribunt
ישו sub quâ voce *blasphemum* *mysterium* *occultant* *detestan-*
dæ *imprecationis*, quam ad *sacrosanctum* *nomen*, *ter* in *terram*
expuente, adhibent **וְיִמְחָה שְׁמוֹ וְזַכְרוֹ** h. e. *deleatur* *nomen* *e-*
jus & *memoria* *ejus*.

§. **Σωτήρ**, *liberare*, *servare*: **σωτήρ**, *Salvator*. *August.* l. 3. *de*
Trinit. c. 10. *Qui est* *Hebraicè* **JESUS**, *Gracè* **σωτήρ**, *nostrâ* *autem* *lo-*
cutione *Salvator*. *Quod* *verbum* *latina* *lingua* *antea* *non* *habebat*, *sed*
habere *poterat*, *sicut* *potuit*, *quando* *voluit*. Est *autem* *Salvator*
à *Salvo*, *cujus* *usum* *aliqui* *probare* *nituntur* *ex* *ipsò* *Cicerone* *in*
Pison. & *l. 2. de nat. Deorum*; *etiam* *Quintilian.* l. 12. 10. *quæ* *verò*
loca *doctis* *suspecta* *sunt*. *Ipsè* *Cicero* *in* *IV. Verrinâ* *negat* *id*
unò *latinò* *vocabulò* *exponi* *posse*. *Soter*, *ait*, *is* *est*, *qui* *salutem*
dat. Proinde *alii* *Servatorem* *malunt*. Sed & *illud* *vetus* *ac*
probum *fuisse* *adstruere* *videtur* *Vetus* *Inscriptio* *apud* *Gruterũ*,
de *quò* *B. Buchn. in Thesa.* Plus *infert* *vocabulum* *Salvatoris*,
quam *Servatoris*.

Ad Vers. XXV.

§. Versum hunc cum præcedenti conjungit *Heinsius*, & sic
 distinguit: **καὶ παρέλαβε τὴν γραμμάδα αὐτῆς (καὶ ὅτι ἐγίνω-**
σκειν αὐτὴν) ἕως ἔ & c. *Ista* *verba* **καὶ ὅτι ἐγίνωσκειν** *in* *parenthesi*
ponit,

ponit, & καὶ non in copulandi, sed adversandi significatione, (quod & Schmidius facit) accipit. Sensus est: Assumpsit uxorem suam (verum non cognovit illam) donec &c.

§. Nullus hic Ebraismo locus est, per quem γινώσκειν de maritali consuetudine usurpetur. Sed est σεμνότης λόγος, cuius in sermone usus est, ubi res vel sententia turpis honesto nomine obvelatur, ut minus turpis appareat. Exemplum ex Menandro affert Hermogen. de Invent. tom. IV. Sunt puellæ verba vitii sibi illati hostoriolam referentis, *Dionysiorum*, inquit, *pompa erat, ibi ille ad fores usq; me secutus, tum subinde ventitans, matrig; blandiens, ἔγνω με, cognovit me. ἐκώσμησεν, ait Rhetor, πρῶγμα ἀιχογὸν σεμνοτέρῳ λόγῳ σωθέσει.* Hæc σεμνότης æquè Græcis, Latinis, atque Ebræis usitata est, contra quàm *Pererius lib. 7. in Gen.* existimat; & vel ideò Ebræam linguam sanctam appellari censet, quod tam sanctè & castè viri mulierisque commixtionem significet. Fatetur hoc *Cl. Gatak. c. XI. p. 114.* Cum n. reverenda quædam sint naturæ officia, ut disertis vocabulis ea proloqui pudor sit, Λόγοι σεμνοὶ, qui dicuntur, formulæq; honestiores apud omnes gentes rebus istiusmodi exprimendis conquisita sunt. Conf. & *Gell. l. 9. c. 10.* Exempla è profanis plurima adducta *vid. ap. Pfochen. sect. 36. Gatak. l. c. & B. Schmid. in Not. ad Luc. XVI. 4. p. 585. Dn. D. Ursin. Anal. Sac. vol. 2. l. 3. qu. 6. p. 115.* notat, de inhonesto & illicito concubitu quando sermo est, addi solere epitheton vel adverbium, *Heliod. in Æthiop. ἀιχρῶς γινώσκει* dicit, & ap. *Ovid. epist. VI. de Medeâ Hypsipyle ad Jasonem,*

Turpiter illa virum cognovit adultera Virgo.

§. Ἔως Adverbium temporis, *Donec, usq;* Observanda sunt verba *B. Chemnitii Harm. c. VII.* Particulæ *Priusquam & Donec* terminum temporis aliquando ita significant, ut illud, quod ante terminum illum temporis removeretur, postea factum fuisse intelligatur. *ut Gen. XIX 22. Levit. XII. 4. Aut si dicam, non cenabo priusquam vel donec audita fuit sexta hora.* Aliquando verò terminum temporis ita describunt, ut de præcedenti tempore, de quò vel dubium aliquod esse poterat, vel quod maximè scire intererat, expressè affirmant, vel negent: unde quasi ex
contra-

contrario de tempore sequenti consequentia texti nec possunt,
nec debent. Hoc est, ita negant prateritum, ut non ponant futu-
rum. Exempla multa videri possunt ap. B. Glass. l. c. tr. 5. c. 12. Malè
igitur ex hoc loco collegit olim Helvidius : Si non cognovit e-
am, donec peperit. E. cognovit post partum. Malè itidem
ex vers. XVIII. πρὶν ἢ σωελθεῖν αὐτῆς argumentatur : Si gravi-
da inventa est, priusquam convenirent, E. postea
congressi sunt.

Θεῶ δόξα.



Ad Præstantiss.

DN. RESPONDENTEM,

Μέλῳ ἰακωλον.

Μαχισμὸν μετὰ μευ ὄρεις,
Ω φίλτατ', ἀναμνον, ἔκ οἷσ' οἰς δεινὸς,
ἔφοβερός σακεασιν.

Ἄλλα νόοια

Δωδάμηῳ σωέσει. Μάταιῳ

ἔκ ἔσι μὸθῳ, ζαχρεῖον ἦ

Ω δε μάχεσθαι.

Τῆ γδ ὀπιαδ' εὐκλεια βαδίζει.

fac.

PRÆSES.



05 A 1761

ULB Halle

3


003 785 777




WDR

Bd. 1








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



N. J.
 ONEM PHILOLO-
 CAM
 Ad
 HÆI CA-
 PRIMUM
e luci sistunt
 RÆSES
 AR STOLBERGIUS
 &
 SPONDENS
 ELSHOFERUS,
 etinensis,
Septembr. bor. antemer.
Audit. Min.

Johannis Haken, M. DC. LXII.

